

Dissertatio medica de haemorrhagiis uteri sub statu graviditatis.

Contributors

Linné, Carl von, 1707-1778.

Elff, Eric, 1718-1761.

Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliae : [publisher not identified], [1749]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mgqn9ksk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. D.
DISSERTATIO MEDICA
DE
HÆMORRHAGIIS
UTERI SUB STATU
GRAVIDITATIS,

QUAM,

SUFFRAG. ET CONS. AMPL. ATQUE EXPERIENT.
FACULT. MED. IN REG. ACAD. UPSALIENSI,

Sub PRÆSIDIO
CELEBERRIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI VIRI,

DN. Doct. CAROLI
LINNÆI,

SÆ RÆ MTIS ARCHIATRI,

Med. et BOTAN. PROFESS. REG. ET ORD.
ACADD. IMPERIAL. N. C. MONSPEL. STOCKHOLM.

UPSAL. ET BEROLINENS. SOCII,

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICÆ PLACIDÆQUE BONORUM MOD. SUBJ. DISQUISIT.

ERICUS ER. ELFF,

HELSINGUS.

IN AUDIT. CAROL. MAJOR. AD DIEM VI. DECEMBER.
ANNI MDCCXLIX.

HORIS ANTE ET POST MERIDEM CONSVETIS.

UP SALIÆ.



D. D.

§. I.



Uid per hæmorrhagiam intelligitur, unicuique haud difficile est perspectu, qui propriam vocabuli significationem novit esse copiosum sanguinis cum impetu effluxum. Hanc significationem neque opus est pluribus circumscribere terminis, nisi quod evacuatio ista fiat e quacunque parte corporis humani viventis.

§. II.

Corpus humanum, quamdiu in eo statu est constitutum, ut omnes actiones sibi proprias exercere valeat cum facilitate, oblectamento & quadam constantia, ut recte dicit Excell. Boërhavius, habetur sanum; ut vero hæc conditio sarta teatque conservetur, tot a Summo Statore hujus universi dicata sunt instrumenta, eorumque inter se relationes, quot ne mortali cuiquam ad ungvem expiscari adhuc datum fuerit. Si vero horum

horum instrumentorum vel unicum aliquo modo læsum fuerit, aut relatio inter illa peccet, corpus huma-
num in illum redactum est statum, quem nomine mor-
bi insignire solemus.

§. III.

Ut ut cognitio singularum partium vitæ ac san-
tati hominis inservientium exactissima adhuc deficiat,
ex indagatione tamen tam veterum quam recentio-
rum Anatomicorum atque Physiologorum dudum e-
victum est, illas conspirare ad continuandum circu-
lum sanguinis, ad secernendos ex hoc liquores unicui-
que functioni exercendæ proprios atque excernenda
corpora machinæ humanæ noxia, quæstomnia, cum æ-
quabili modo fiunt, id absolvunt, quod Sanitatem
dicimus.

§. IV.

Officiis istis peragendis indolem non tantum san-
gvinis idoneam, verum etjam justam illius requiri quan-
titatem, per se itaque patet; hinc pro ut hæcce vel
etjam illa variat, sanguinis quoque evacuatio aut uti-
lis & sæpe necessaria quoque, aut plus vel minus
noxia est; in illo casu cum sanguinis evacuatio sub
 nomine morbi nequeat venire, sub considerationem
jam non cadit; in hoc casu vero nomen Hæmorragiæ
justis meretur titulis.

§. V.

Ad dignoscendam hæmorrhagiæ a reliquis cru-
ciatibus, corpus humanum adfligentibus, non opus est,
ut multa dicantur, cum sanguis impetu effluens satis
superque unicuique adspicienti hujus morbi ideam
imprimat.

§. VI.

Causam proximam hæmorrhagiæ merito conten-
dimus consistere vel in præter-naturali dilatatione &
apertura, vel in ruptura vasorum sanguiferorum pa-
tis adfectæ. Ad hasce vero producendas multæ cau-
ſæ remotæ suum conferre possunt symbolum, quas e-
mnes instituti ratio non permittit enumerare; illas
taque tantum tangemus, quæ deinde dicendis lucen-
adferre queunt.

§. VII.

Præter illa, quæ quasi modo mechanico imme-
diate rupturam inducent, valent, considerari meretu-
fluxus humorum ad aliquam partem magis quam a-
reliquas determinatus, quem Stahliani verbo conge-
stionis efferre solent. Hæc congestio non potest no-
inæqualitatem circulationis humorum indigitare, it-
etiam variæ ejus constitui possunt causæ, ut debilita-
partis adfectæ, irritatio, aliaque, quæ fluxum humo-
rum illuc lege mechanica invitant, item obstruktione
partium vicinarum, illarum spasmi, suppressiones &
vacuationum alibi fieri solitarum, quibus etiam plé-
thora, sanguinisque indeoles spissa sæpe conjungi solent.
Hisce si circulatio humorum augeta, aliqua ex cau-
occasionali superacedens, consideretur, facile intelligi-
tur quomodo hæmorrhagiæ exortus explicari potest.

§. VIII.

Hæmorrhagiæ divisionem in Criticam, quæ moi-
bis supervenit diebus criticis cum levamine & remi-
sione symptomatum, & Symptomaticam, quæ absqu-
levamine manifesto cum prostratione virium incurri
aliasque sicco præterimus pede; sufficit solum-modi
addidisse, illam varias recipere denominaciones pr-

diver

diversitate partium, quæ illa corripiuntur: Sic ex nari bus sanguis proveniens, hæmorrhagia narium vocatur ex pulmonibus si exfiliat, hæmoptysis audit, ex ventriculo per fauces eveniens vomitus adpellatur cruentus; ex vasis hæmorrhoidalibus, sub nomine hæmorrhoidum venit; ex utero autem sanguinis vehementior effluxus, quam qui menstruæ evacuationi competit, hæmorrhagia vocatur uteri. Reliquis vero missis, de hæmorrhagia uteri paucis differere animus est. Si vero B. L. vires meæ tuæ expectationi non sufficerint, aut in conscribendi ordine vel ratiociniis error irrepserit, & rudior stylus offenderit, benigno tamen ut interpreteris animo etiam atque etiam oro quæsoque.

§. IX.

Corpus sexus sequioris non tantum ad acmen prius pervenire, quam nobilioris, omnium Physiologorum unanimi judicio evictum est tam ex ipsa experientia quotidiana, quam ex ipsa mollitie corporis feminini, qua vasa actioni cordis minus resistentia facilis extenduntur; cum e contrario sexui nobiliori vasa sint duriora, actioni cordis minus cedentia, adeoque minus expansilia; verum quoque illud acmen transgressum magnam colligere humorum copiam, qua etiam opus fuerit, femina utero gerente, ad nutriendum fetus. Hanc plethoram & evacuationes quovis mense extra statum graviditatis contingentes evincunt, & enormes jaæturæ sanguinis, vel per hæmorrhagias uteri nimias, vel per saepius repetitas venæ sectiones, salva manente nihilominus femina, apud autores praticos passim memoratae, abunde testantur, quales jaæturas sanguinis, sine & virium & vitæ dispendio, vel robore excellens vir neutquam facere potuisse.

§. X.

§. X.

Ast non satis est, feminæ concessam esse facultatem plurimum colligendi humorum, sed multis etiam rationibus illorum fit congestio ad uterum. Uterus enim facile extensilis situs est in loco declivi, scilicet pelvi, quæ latitudinem habet majorem in feminis, quam in viris. Hinc sanguis actione cordis projectus, elasticitate atque innata vi contractili arteriarum promotus, & ipso pondere per arterias ad uterum ducentes adjutus, illas debiliores & ampliores impetuique cordis a) cedentes, quin & ipsam substantiam uteri tanto faciliter replet, cum angustia pelvis non impediat, & uterus constet non nisi vasis densa, stipata, duriuscula, succulenta tamen cellulosa, in qua, praeter nervos a plexu mesocolico infimo ortos, fibrarum aliquid simile muscularium, revinetis, quæ, extra statum graviditatis serpentino ductu decurrentia, sunt dilatabilia. Sanguis in uterum jam congestus ob ipsum pondus majori redit difficultate, cum venæ reducentes ad perpendiculum revehant, quæ, si paucas inspermaticis excipias, destituuntur valvulis, alioquin sanguinis retrogradis multum facilitantibus, præterea hæ venæ plus habent roboris, adeoque minus distensiles sunt, nec non sunt minores b) pro ratione arteriarum; ad quod accedit, quod hæ venæ circa uterum sunt ampliores, & minores ubi truncis suis inferuntur. Ex hisce sequitur, majori copia per arterias adferri, minori

a) Hall. comment. in Institut. Med. Boerh. Tom. V. part. 2. § 661. n. a. & §. 665. n. a. Hall. Prim. Lin. Physiol. §. 813. 816.

b) Halleri Prim. Lin. Physiol. §. 809. 813. ejus comment, in Boerh. Inst. Med. T. V. p. II. §. 665. n. a.

minori vero per venas revehi; hinc necesse est, ut in arterias uteri sanguis congeratur, cum columnæ sanguinis, una post alteram venientes, continuo urgeant, usque dum, cum venæ tantam recipere sanguinis copiam negent, extremitates arteriarum exhalantium c), quæ in non menstruantibus non nisi humorem serosum fundunt, ita dilatantur, ut sanguinem recipientes illum in cavitatem uteri stillent, donec plethora imminuta sit; unde nimia illa pressione sublata, vasa, dum elasticitatem servent, iterum se contrahunt, fluentique sanguini hac vice finem faciunt. Majorem ad uterum determinationem, & vasorum inde tantam distractionem, ut etiam vicini nervi distrahitur, quas scimus vasa plerumque sequi, probant quoque molimina varia, ut dolor, calor, pondus &c., quæ ante hunc fluxum sentiuntur in lumbis, ad pubem & inguina.

§. XI.

Hæc evacuatio sanguinis, quæ sub nomine menstruorum venire solet, renata iterum copia ejusdem, post

c) Multi equidem auctores contendunt, in substantia uteri inveniri sinus quosdam sanguinem ab arteriis recipientes, posteaque illum in uterum deponentes; sinus vero non dari, sed vasa tantum cellulositate quadam cincta, firmissime persvasus sum, cum apud hujus ævi summum Anatomicum Perillustrem Dn. Hallerum, cuius fidelissimam informationem, perplurimaque in me merita, gratissima ac venerabunda mente ad extremum usque vitæ halitum semper agnoscam, meis hisce oculis viderim, in utero feminæ, puerperio extinctæ, feliciter injecto, nullos ejusmodi reperiri sinus, qui sane per ceram in irregularia spatia effusam se prodidissent, si adfuissent, in hoc vero utero omnis cera intra membranas in cylindrum convolutas continebatur,

post mensem recurrit lunarem, atque ita decursus suos ordinario servat, initio facto circa 2:dum Septenarium usque ad septimum (non tamen negamus, variationem dari insignem & qua ipsum tempus primæ eruptionis atque ultimæ suppressionis, & qua ipsas periodos, ratione locorum, diætæ & constitutionis subjectorum) nisi ex causa quadam suppressimatur, unde multi graves que oriri solent morbi, vel ob conceptionis negotium fistatur, ut sanguis retentus in alimentum cedat fetus. Quo itaque proles obtinenda cuidam est optatio, eo cautius est mercandum, ne spes ejus per hæmorrhagiam uteri sub statu graviditatis malo omne excitatam destruetur. Quam difficile vero sæpe sit ab illa præservare, & præsentem abigere facile vident, qui considerant, causas prædisponentes hæmorrhagiæ semper in hoc statu adesse, quæ cum quadam occasionali coniunctæ hæmorrhagiam producere posunt, quin etiam sæpe casus dari, ubi in nostra non est potestate hæmorrhagiam tollere sine extractione fetus.

§ XII.

Quot opiniones Physiologi circa conceptum fôvent, non mei est instituti heic enumerare; ac non tantum labor humeris meis non ferendus est, sed etiam fere inutilis, enodare, cuius sententia maximam habet speciem veri; sufficit, cum certitudine concludi posse, ovum spermate virili fecundatum & in uterum adlectum, ibidem in ambiente humore fotum emittere rudimenta placentæ, quæ plerumque & quidem naturaliter se adfigunt crassiori parti, scilicet fundo, uteri, sed non tam constanter, quin possint etiam lateribus, imo etiam orificio uteri adnasci d). Ovulum hocce, in

quo
d) Placentam non nisi fundo uteri adnasci contendit

quo rudimenta fetus jacent recondita, semper augetur & crescit, ut, quod primis septimanis vix granum æquabat, ultimo graviditatis mense 12, forsan etjam plurium sit librarum e), atque pro magnitudine fetus & multitudine aquarum in magnum extendatur volumen. Placenta, quæ initio non fuit nisi filamentum quoddam subtilissimum, excrevit ultimo tempore in magnum rotundum viscus, latitudinis dimidii pedis & ultra, & crassitie plus sæpe quam unciae. Hoc viscus vasis tantummodo constat, arteriis scilicet & venis, cellulosa revinctis, quorum venæ recipiunt sanguinem a contigi uteri arteriis, illumque ad fetus vehunt, arteriæ vero sanguinem a fetu revertentem in venas fundunt uteri.

§. XIII.

Ipse uterus quoque, qui in virgine vix magnitudinem habebat piri, jam gravidus in insignem excrevit magnitudinem. Ejus crassities tantum abest, ut, sub graviditate minuatur, quin potius augeatur f).

B exce-

Deventer, imputans obliquitati uteri, si manus obstetricantis placentam ab utero post partum solutura, illam non in fundo sed ad latus quoddam invenerit. Contrarium vero, & quidem veritati consonum, experientiaque, multi alii demonstrarunt. Ipsam vero ipsi orificio uteri adnasci inter auctores artis obstetriciæ, quorum labores adhuc publici juris facti sunt, unicus est Noster von *Horne*, qui propria experientia edoctus adserit, cuius assertionem celeberr. *Dn. Doctor Fried*, Practicus & Obstetricans Argentinensium felicissimus, in prælectionibus suis dixit se inventisse veram.

e) *Manningham. Compend. artis obstetr. p. m. 55.*

f) Uterum in statu graviditatis adtenuari, ut Gale-

excepta tamen inferiori ejus parte, quæ ultimis gestationis mensibus, pondere aucto fetus incumbente, ita adtenuatur, ut digitus, statum gravidæ explorans, per substantiam uteri caput fetus tanquam globum durum perfecte distingvere possit. Alioquin substantiam uteri crassescere non prohibent vasa ejus, quæ extra graviditatem duet serpentino repentina, in illo magis fiunt exporresta in rectitudinem & ita expansa, ut, quæ antea setam vix admiserunt, jam vel digitii minimi sint capacia.

§. XIV.

Ex hisce, ut credo, fatis superque patet, causas remotas hæmorrhagiæ uterinæ apud gravidas adesse. Plethora, sexui sequiori alioquin propria, sub statu graviditatis adhuc magis augetur. Quamprimum enim mulier concepit, debet evacuatio menstrualis supprimi, unde sanguis quovis mense continuo magis magisque augetur, qui tanto magis primis mensibus minatur hæmorrhagiæ, cum tenellus adhuc fetus tantam quantitatem humorum in sui nutritionem vertere nequeat. Congestionem vero sanguinis ad hoc viscus majorem fieri arguunt & titillatio a semine masculo injecto irritante, & irritatio ovuli continuo augmento uterum per gradus distendente. Præter hæc considerandum venit,

quod

nus ejusque sectatores, & post illum Mauticeau aliique voluerunt, recte negarunt de la Motte, Manningham, De venter &c. De hac veritate etiam ter Göttingæ apud summum *Hallerum* convictus sum, prima vice in cadavere puerperæ una cum fetu extinctæ, altera in cadavere feminæ post editum fetum tertio die mortuæ, tandemque in cadavere meretriculæ, quæ ab adsumptis pharmacis ad pellendum fetum, post illum exclusum cito obiit, cuius uterus inventiebatur rimam egisse.

quod placenta quidem utero adhæret, sed non tam arctis vinculis, quin possit aliquo in loco ex quadam causa superveniente dirimi. Cum vero placenta utero adhæret vasis, quæ inoculantur vasis uteri, sequitur, vasa, quæ, quamdiu uterus contentis est distentus, sese non possunt contrahere, eo in loco, ubi placenta soluta est, continuos fundere rivos sanguinis, donec ne gutta superstes sit, nisi præsens adhibetur auxilium.

§. XV.

Hæmorrhagiæ uterinæ variæ occasioñales causæ ansam præbere possunt, quæ, præter externam violentiam, ut iectus super abdomen receptos, casus ab alto, pondera gestata, vestes arctius abdomini adstrietas, &c. ad ea referri possunt, quæ sanguinem in majorem motum excitando cogunt uterus ad se contrahendum & fetus ejiciendum, vel alioquin placentam ab utero solvunt. Huc adnumerari possunt animi pathemata vehementiora, pellentia, stimulantiaque pharmaca, vomitoria & purgantia vehementia, motus vehemens, equitationes, saltationes, calor æstuans, vomitus, tussis, sternutationes vehementes, venus exercita, venæsecções in pede &c. Hisce addendi morbi varii graviditati supervenientes, ut paroxysmus hystericus, paroxysmi calculi renum atque vesicæ, colica, alvus obstruēta, intestinorum termina varia, Diarrhoeæ & dysenteriæ, hæmorrhoides, abortus saepius prægressus, mola una cum fetu in utero existens.

§. XVI.

Quando mulier ex amatorio complexu conceperit, quod plerumque & quidem optime fit primis diebus post menses, gravia quædam symptomata, ut nausea,

vomitus &c. illam adfligunt, quæ tamen non timemus, hæmorrhagiam ne inducant, cum potius resorptioni partis cuiusdam ex semine masculo in sanguinem, quam sanguinis copiæ auctæ adscribi posse videantur; sanguis enim primo mense non majori, necesse est colligatur quantitate, quam extra statum graviditatis colligeretur. sub finem vero mensis, item reliquis mensibus, si incident, omni circumspetione sunt sospienda, ne aucta & continuata hæmorrhagiam excitant, quæ in primis illis diebus ac hebdomadibus timenda, in quas alioquin inciderent menstruæ periodi. Consuetudo menstruorum tantam habet vim, ut primis mensibus sub statu graviditatis sæpe sanguinis fluxum instar evacuationis menstrualis experiantur mulieres, in primis plethoricæ. Hic fluxus quando ex va-
sis tantummodo circa orificium uteri repentibus pro-
venit, tantum periculi non minatur, ideoque terrorem non incutiat, si modo sequentibus circumscriptus sit conditionibus: ut non a gravi quadam procataracta
causa inductus sit; ut temporibus solitarum periodo-
rum menstrualium incidat; ut non fluat sanguis tanta
copia, quanta extra statum graviditatis conservavit, neque
tam longo temporis spatio duret; ut ejus color sit re-
missior; ut nihil coagulati crux, neque fibræ quæ-
dam carneæ fluenti sanguini mixta sint; ut sanguis non
exeat fluxu impetuoso & quasi per subsultus, sed a-
quabili; ut nullæ tensiones, dolores, pressionesque in
dorso, lumbis, inguinibus superveniant; ut orificium
uteri tactu exploratum ea parte, quæ cavitati uteri
respicit, perfecte sit clausum.

§. XVII.

Ex hisce circumstantiis quamvis cognoscamus,
non

non tantum instare periculi, non tamen simus, oportet, tam securi, quin metuamus, ne hic fluxus possit irritare uterum ad evacuandum ea, quæ in se continet, ideoque consultius est in hoc casu gravidæ præscribere diætam & medicamenta convenientia. Hoc regimen in eo consistat, ut grava abstineat ab iis, quæ motum sanguinis augere & ad uterum determinare possunt; fugienti cibi aromate conditi, falsi, fumo indurati, flatumque excitantes; vinum, aliisque liquores spirituosi exulent; ab animi affectibus sedulo caveat grava; neque venus sub hoc tempore celebretur; quovis mense, duabus ante instantem periodum diebus, venam curet in brachio secandam, quod continuetur donec motus sensituntur infantis. Quando sanguis fluere incipit, & animo & corpore in lecto maneat quieta, ac quotidie *repetitis* vicibus sumat nitrofa, papaverina, leniter annodyna, emulsiva, medicamenta, aliaque convenientia.

§. VXIII.

Ab hoc vero sanguinis fluxu menstruali probe distinguiri meretur hæmorrhagia uteri, quæ & sub & extra id tempus, quod menstruæ evacuationi respondet, incidere potest. Hanc absolvit sanguis e genitalibus ubertim profiliens & quidem per subsultus, qui mox cessat paululum, mox iterum erumpit, & quavis vice recurrens majori urget vehementia, secum vehens thrombos coagulatos, saepeque fibras carneas; color est ruber, qui magis magisque fit intensior. Quando huic se jungunt dolores & spasmi, vel leniores, vel vehementiores in dorso, regione lumbari, ad sinum pudoris usque, deorsum sese extendentes, qui instar dolorum partus jam cessant, jam iterum urgent, & si orificium uteri incipit aperiri, in quo vesicula cum aquis, illam distendentibus

dentibus, eminet, metuendum est, ne abortus brevi instet. Causa proxima hujus fluxus consistit in apertura vasorum quorundam uteri, facta ex solutione placentaë uterinæ vel qua partem vel qua totum, quæ, quamdiu uterus fetus distentus est, non possunt se contraherere, adeoque ad extremum vitæ halitum usque sanguinem fundere continuant.

§. XIX.

Hanc hæmorrhagiam, quatuor & quinque primis mensibus ortam, etsi Mauricean^{g)} dicit non esse lethalem, cum vasa uterina connubium cum vasis placentaë trahentia adhuc in tantam non excreverint mollem, ut magnam sanguinis copiam fundere possint, illam vero, quæ 7:mo 8:vo & 9:no mense fit, omnino esse funestam, nisi fetus extrahatur; non minus tamen periculi minari illam & observationibus ipsius Mauriceau & aliorum constat. Ex vehementia itaque ipsius hæmorrhagiæ eventus ejus judicari debet.

Ex auctorum observationibus exempla habemus varia sedataæ hæmorrhagiæ fetusq; conservati, vehementior vero cum conditionibus priori §:o recensitis nullam spem relinquit fetus conservandi; si itaque tempus vana expectatione, inutili & saepè noxia medicatione protrahatur, fetusque non eximatur artificiosa manu, ægra post Scotomiam, susurrus aurium, pulsumque maxime debilem una cum latice vitali evacuato animam efflat.

§. XX.

Ex antea dictis facile constat, qualis cura, & quando suscipi debet. Si minus vehemens hæmorrhagia sati concedat temporis, tentari & potest & debet, ut sanguis

g) Traité des Maladies des femmes grosses p. 159. 171.

sanguis sittatur, quod fiat venæ sectione in brachio, illaque secundum indicationes repetita, ligamentis artubus inditis, medicamentis interne datis ex nitrosis, papaverinis, leniter anodynīs & emulsivis, quibus coniuncta imperetur summa quies in lecto & animi tranquillitas. Hisce vero inutiliter tentatis, si hæmorrhagia increaserit, symptomata supra recensita superveniunt, & vires incipiunt matri deficere; ut servetur, pro ratione circumstantiarum curandum, ut fetus secundum regulas scriptorum artis obstetriciæ extrahatur, placentaque eximatur.

§. XXI.

Alia etiam interdum occurrit hæmorrhagia, prædictæ haud absimilis, quæ a mola suam agnoscit causam. Quomodo mola generetur non mei est heic endare, sufficit signa quædam solummodo tradere, quæ ab observatoribus exhibentur ad distinguendam hæmorrhagiæ a molæ gestatione ortam, ab illa, cuius antea mentionem fecimus. Antea tamen studio moneo, me heic tantummodo indigitare molam veram, non vero spuriam, quam polyposam concretionem in utero factam esse convenio, satis tamen observatorum testimonio convictus, etiam veras dari molas b), inter quos

b) Mirari licet, quod Chirurgus Gallus Levret in tractatu suo de polypis uteri atque nasi, Gallice nuper edito, contendit nullas dari molas veras, sed omnes molas ad polyposas uteri concretiones referendas esse. Hic liber quædam continet bona, quæ, si vocabularium inutile, propriæ laudes & sesquipedales Chirurgorum Gallorum citationes, aliaque vana demerentur, in aliquot pagellas redigi possent. Sed quid non facit amor sui suorumque & furor scribendi?

quos nominasse sufficit *i)* Garmannum *k)*, Ruyſchium *l)*, Kerkringium & Vaterum *m)*.

§. XXII.

Indicium molæ cum ipso fœtu præsentis nullum esse certum, penitus sum perswasus. Molam quoque solitariam a vera graviditate, præcipue primis mensibus, dignoscere, si non impossibile, saltem est difficile, cum signa utriusque plane sint communia. Progresu vero temporis suspicionem ejus præbent, venter ab ipso initio magis, quam ordinario, auctus, ac undique æquilater extensus, ejusque tumor non elatus abdomen & epigastria verius, sed deorsum pendulus, sensus in abdomine ponderis inertis, sœpe hue & illuc devoluti, mammæ intumescentes & serosi quid fundentes, sed non duræ, verum flaccidæ & pendulæ. Hisce se jungit tertio vel quarto mense graviditatis hæmorrhagia, quæ mulierem vehementia sua brevi jugulat, nisi corpus illud peregrinum ex utero exterminetur. Ad hoc vero efficiendum si dentur medicamenta pellentia, eo citius cum sanguine vitam effundit ægra, hinc consultius illud manu eximere artificiosa.

§. XXIII.

Restat jam, ut paucis etiam tangamus hæmorrhagiam,

i) Diff. de Gemell. & part. numeroſo itemque diſſerat. de homine ex ovo.

k) Theſſ. Anat. III. N. 16. Theſſ. VI. N. 42. N. 43. n. 3. N. 81. n. 5. N. 93. Theſſ. anat. IX. N. 24. ejusdem Advers. Anat. Dec. 1. 8. p. 21. Huc pertinet obſervatio Mangeti Biblioth. Anat. T. I. p. 474. de mola texturæ carneæ, partimque fibroſæ, in cujus meditullio ossicula latebant.

l) Specileg. anat. obs. 88.

m) Diff. de mola prægnante Vittebergæ 1732.

rhagiam, quæ sub ipso partu accidere solet, cum vero nullus partus accidat sine aliqua sanguinis effusione, jam repeto, quod antea monui, me non aliarum suscepisse tractationem evacuationum sanguinis, nisi illarum, quæ cum periculo sunt conjunctæ. Attamen ut hæ, quæ terrorem injicere debent, eo melius a reliquis dignoscantur, haud alienum esse credo, paucis dicere, unde sanguis, qui sub partu naturaliter effunditur, suam ducere potest originem.

§. XXIV.

Cum grava novem a conceptu complevit mensæ & ad terminum gestationis pervenit, incipit uterus spasmatica constrictione deorsum urgere ovum, fetu & aquis repletum, quæ aëlio adjuta motu voluntario inspirationis auctæ a matre ipsa sensim aperit orificium uteri, unde ovum adpresso ad latera hujus orificii non tantum mucum magna quantitate ex sinibus mucosis in cervice uteri sitis, sed etjam comprimendo vas a per cervicem repentina ex illis sanguinem exprimit, qui cum muci copia mixtus præbet signum, orificium dilatari, partumque brevi instare, ideoque occasionem præbuit Gallis appellandi hanc mixturam sanguinis & muci, *les marques*, Germanis *die zeichen*. Sæpe etiam accidit, ut sub quovis dolore major quantitas sanguinis vel dilutioris vel etiam coagulati evacuetur, qui etiam ex arteria quadam majori in orificio uteri rupta a capite infantis premente provenit. Hæc profluvia sanguinis, si nullæ causæ prægressæ præbeant suspitionem solutæ ab utero placentæ, & si dolores inde non minuantur vel cessent, nihil incutere debent terroris, cum sistantur penitus incrementibus doloribus, fetuque urgente.

§. XXX.

Ab hisce & periculo & vehementia longe distat vera hæmorrhagia uteri circa tempus instantis partus ingruens, cuius apud auctores artis obstetriciæ fit mentio. n) Nemo vero meliorem ejus dedit descriptionem qua causas, signa & curam, quam noster *Von Horne*. Reliqui omnes causam hujus hæmorrhagiæ constituerunt in placenta ab utero soluta, illaque devoluta ad uteri orificio, unde vasa uteri ob fetum contentum & distendentem se constringere non valentia sanguinem jugi fundunt fluxu. Nisi ita placuisset Deventrio hypothesis illa de obliquitate uteri, & quod sedes placentæ nullibi esset, nisi in fundo uteri, certe videre potuisset, lapsum ejusmodi placentæ fere esse impossibilem, præsertim adhuc non ruptis membranis, cum uterus undique ovum circumdans, ei ita se adplicet & ab omni parte ipsum adprimat, ut nullo modo ad hanc vel illam plagam devolvi queat.

§. XXVI.

Ut antea dixi, inter omnes artis obstetriciæ, quorum labores adhuc publici juris facti sunt, unicus est noster *Von Horne*, qui veram hujus hæmorrhagiæ causam detexit, scilicet, quod placentæ uterina orificio adnata sit; quo casu itaque cum uterus partu instante in ovum agere incipit ad dilitandum orificium, vincula inter

n) Ut apud Manningham compend. artis obstetr. p. m. 74, La Motte traité complet des accouchemens ob. 230. 231. 232. 233. Deventer. cap. 31. Dionis libr. III. cap. 24. Iust Siegmundin in *Brandenburgische Hof-wehmutter* cap. 6. Joh. Von Horn in tractatu suo, cui Titulus: *Den Swenska wål öfwade Jord-Gumma* libr. I. cap. 17. & libr. II. cap. 28, ut & in ejus Ziphra & Pua Part. I. cap. 7.

inter placentam & illud solvuntur magis magisque, quo plus orificium dilatetur, unde vasa aper-
ta se contrahere non valentia sanguinem fundunt.
Ut placenta variis modis orificio adnasci potest,
ita exinde majus vel minus eminet periculi. Si ipsum
centrum placentæ ipsi centro orificii superjacet, majo-
ri certe discrimini exponuntur & mater & fetus, quam
si solummodo pars quædam placentæ huic vel illi la-
teri orificii adplicetur. In utroque casu quidem utri-
que est discriminis vitæ eminens, nisi auxilium matu-
re præstetur, in hoc tamen majori facilitate & celerita-
te ferri potest, quam in illo.

§. XXVII.

Partum hoc periculo stipatum instare, etiam an-
tequam ipse fluxus sanguineus illud prodit, prædici
potest, si obstetrix uno vel altero mente ante partum
orificium uteri tactu explorans ipsum in media pelvi in-
venit pendulum, sed loco capitis per substantiam cer-
vicis uteri jam adtenuatam instar globuli duri sentien-
di, solummodo substantiam quandam mollem tangit,
ac deinde instantे ipso partu, cum explorabit quod-
nam membrum fetus in ostio uteri hæret, neque mem-
brum quoddam, neque vesicam aqua distentam adtre-
stat, sed solummodo mastam illam mollem, informen
& spongiosam. Ast interea quoque inopinato profluvio
sanguinis corripitur grāvida, quod quidem remittit,
sed iterum iterumque recurrit, & una quaue vice fit
vehementius, donec tandem maxima cum vehementia,
& pro ratione dolorum per subsultus, sanguis exsilit.
Dolores, qui in partibus naturalibus magis magisque
augentur, in hoc minuuntur ea ratione, qua sanguine
uterus exhaustus, unde omni vi contraetili privatur.

Si itaque fato suo & naturæ auxilio committatur gravi-
da, una cum fetu morti traditur.

§. XXVIII.

Cura hujus hæmorrhagiæ radicalis frustra per me-
dicamenta interna expectatur. Si remedia dederis pellen-
tia fetum, ut a nonnullis vocantur, ipsum morbum
auxeris; si quis adstringentibus corroborantibusque eū
occurreret, tantum abest, ut solatii quicquam adfera-
tur, quin potius, si etiam nil mali inde redundaret,
tempus frustra terendo omnis spes gravidæ servandæ
una cum sanguine effugiat. Restat itaque optima me-
thodus, quæ est extractio fetus, ut uterus contentis li-
beratus sese contrahendo vasa sanguinem fundentia ob-
turare possit.

§. XXIX.

Hoc ut mature fiat antequam mater una cum fetu
& sanguine & viribus exhausta sit, svadet ipsa ratio,
svadet ipsum periculum; quo modo vero peragatur,
non omnes convenient auætores. *Deventer* o) commen-
dat, ut placentæ, quam, ne hypothesis ejus de sede
placentæ in fundo uteri, quid jacturæ faceret, conci-
pit a fundo solutam, delapsamque orificio per sangu-
inem grumosum coagulatumque adfixam esse, digitis
tam patulum indetur foramen, ut satis liberam capiti
infantis secundum naturam positi concedat viam, partus-
que naturæ committatur viribus, & si fetus situm habeat
inidoneum, ut pedibus quæsitis extrahatur p). Justina
Siegmundin in more habuit, stylo placentam perforare,
ut aquæ effluerent, partumque naturæ commisit. Ve-
rum equidem est, hæmorrhagiam hisce modis, ut con-
tendunt, paulum sedari; ast cum uterus perfecte sese
contra-

contrahere nequeat, hæmorrhagia repullulat, & doleres deficientes ex nimia jactura sanguinis fetum expellere non valent, prætereaque placenta in orificio uteri relicta exitum infantis retardat. Ut in reliquis operationibus artis obstetriciæ describendis, ita & in hac reliquis felicior fuit Noster *von Horne*, de cuius laude & existimatione, quam & dexteritate & candore & scriptis suis elegantissimis apud omnes promeritus est, tantum abest, ut quicquam detrahere velim, quin potius scripta ejus plurimi faciam, imo admirar. In eo tamen mihi videtur aliquid paſſus esse humani, quod q) consentit methodi Deventrianæ, nec non, si placenta' exi- tui intantis eſſet impedimento, quod ſvadet, ut placen- ta penitus eximatur. Si enim conſideretur, quod pla- centa eſt continua membranis, fetum circumdantibus, facile adparet, illam non posse eximi, niſi membranis ruptis aquæ effluerent; inde vero facilis fetum ver- tendi tanta celeritate, qua oportet, penitus eſſet sublata. Præterea, quo plus placenta ab utero solveretur, eo ve- hementior foret hæmorrhagia & ex utero & ex placen- ta, quæque momento eſſet fetui lethalis,

§. XXX.

Optimus itaque modus & matri & fetui subve- niendi mihi videtur, qui traditur a Celeberrimo D:no *Fried*, Argentinensium Praetico felicissimo, cuius dex- teritatem in re obstetricia omnes norunt, & cuius in- formationem fidelissimam, quoad vixero, semper ex- osculabor. Hæc methodus id in primis intendit, ut circulatio sanguinis inter matrem & fetus, quantum fie- ri potest, conservetur, & fetus maxima celeritate ex- trahatur. Ad hos scopos obtinendos ſvadet, ut ob-
stetri-

stetricans, coagulis sanguinis grumosis e vagina extemtis, probe inquirat, cuinam lateri orificii uterini minus adnata est placenta, & ubi incepit solvi ab utero, ibi itaque illam ab utero secernat, relinquens ab altera parte utero adnexam, ut deinde manu secundum præcepta obstetricia per orificium uteri intrusa r) membranas rumpat, moxque manum per foramen membranis factum inserat ac brachio id quasi obturet,
quo

r) Cum sanguinis, qui alioquin has partes tenet distentas, turgidasque, jactura hoc casu flaccidas, facileque dilatabiles illas reliquerit, non timemus membranas rumpere, quod aliis occasionibus ob difficilem inde sequentem partum non est svadendum. Plerique & auctores artis obstetriciæ & Physiologi partum difficilem ex membranis præmature ruptis eo modo explicant, quod, aquis evacuatis diu ante partum, fetui per vias aridas est transeundum; Non vero considerant, hasce vias adsiduo inungi muco copioso ex cryptis cervicis uteri & sinulis vaginæ proveniente, ut aquis cito exhalantibus non opus esset; Prætereaq; huic ariditati tollendæ ars certe supplere possit unguento quodam molliente. Ceteris rite se habentibus, partus fit facillimus quando vesica aquas continens urgentibus doloribus extra vulvam usque est protrusa; sed per poros membranæ ne gutta quidem exsudat, qua viæ humectari possunt. contra in partu difficiili membranæ fere statim rumpuntur, aquæque sub quovis dolore guttatim effluunt vias humectantes, & nihilominus partus fit difficilis. Unica opera; quam vesica non rupta in partu præstat, illamque optimam, est quod undique æquabiliter os uteri ab urgente liquido distendit absque tanta difficultate, cum omnes partes dilatandi orificii uterini æquabili urgeantur pressione, quanta, evacuatis aquis, durum infantis caput. Præterea ex membranis sponte nimis cito ruptis semper prædicere possumus, præsertim si aquæ guttatim sub repetitis doloribus effluant, infantem non optimo situ esse locatum, partumque fieri difficultem:

quo aquæ non penitus evacuatæ versionem fetus facilitent; deinde, &, capite etiam prævio infantis, pedes ejus quærat, illosque ambos hac circumspectione arripiat, ut calces volæ manus jaceant adplicatæ, eo enim sit, ut fetus statim in ventrem vertatur, opusque non sit, postea corpus invertendo tempus terere. Tandemque ut fetus, prout docent regulæ artis obstetriciæ, summa, qua fieri potest, celeritate extrahatur. Quibus peractis etjam a secundinis liberetur puerpera.

VIRO Clarissimo, Eruditissimo,

Dom. ERICO ELFF, MED. LICENT.

Amico Suo longé Carissimo Æsturn atissimo S. P. D.

DAVID CHRISTOPH. SCHOBINGER, M.D. St.Gall. Helv.

Veniam, quod spero, dabis, Vir Clarissime, importuno forfitan huic conatui meo, quo majoris momenti occupatum Te negotiis haud tamen vereor hafce qualescunque per litteras interpellare. Verum, si ullus usquam, ego certè experior, quam locorum distantia haud par sit extinguedæ amicitiæ, ut potius ardenteri absentium nos adjiciat desiderio. Nunquam videlicet, quod persuafissimum velim Tibi habeas, sine summa eaque purissima animi mei voluptate integerrimæ illius, perfectæ, jucundissimæ demum utilissimæque recordari possum amicitiæ, quæ olim, Suavissime ELFF, Te Mihi, in eo quam felici! nostrosque mutuo conjunxit nexus arctissimo animos. *Georgia Augusta*, tranquilla illa, sed Nobilissima Musarum sedes, HALLERO suo merito glorians Medica in Scientia, hæc, inquam, utrumque nostrum, Te ex frigido Septentrione, ex asperis Helvetiæ montibus me, suas ad delicias cum adlexisset, fundamentum primum equidem dulcissimæ nostræ jecit fraternitatis, cur nondum tum ad intimam Tuam me admiserit familiaritatem, ipse nescio: quamvis jam tunc Virtus Tua, singularisque eruditio meos ut aliorum bonorum satis ceciderit sub oculos. His permotus justissimo eoque impatienti terebar desiderio Te comitandi in itinere Argentoratum tunc nobis suscipiendo. Haud equidem contigit, quod quam doluerim nosti Ipse; sperata felicitas, contigit vero,

quo gaudere nonnisi cum vita desinam, major, qua & dulcissimo
cor tubernio, commensalitioque Tuo frui per semestre illud be-
atum licuit. Heic, Dulcissime Amice, talem Te cognovi, tali Tuo
ufus sum amore, tantumque ex Tua conversatione hausi tam-
que multiplicem utilitatem, ut certe memoriam Tuam nunquam
colere, nunquam Te amare venerarique, Tibique apud animum
meum gratias habere, sim cessaturus; Beatam tranquillitatem!
Dulcissimam animorum conjunctionem! utilissimum Studiorum
consortium! quæ Tecum sed brevinimis sum expertus tempore.
Tædiosi naufragisque naturæ oloribus visi labores obstetricii
quam jucundi, quamque nobiles nobis sunt visi! Ferro igneve
humana intra viscera, necessitate postulante, sœvire, communis
studio edoceri cupiebamus. Ubique felix mihi videbar, ubi Te-
cum esse licuit. Merito nunc, Clarissime Vir, oblatam arripio
occasionem, & publicè pro fidissima tua amicitia gratum meum.
Tibi testandi animum, animum, quem spondeo Tibi, nunquam
Tui memoriam piè colere cessaturum. Scio nempe Summam
Doctoris Lauream tempora tua nunc coronaturam, quam e-
quidem penes Te stetisset multis antea obtinuisse annis, hanc
ipsum vero è longinquò mihi liceat Tibi, Clarissime Vir, sincero
tuæq; omnigenæ felicitatis cupido nunc gratulari animo. Sit igit-
tur faustissimus ille dies, qui indefessis longisque laboribus tuis,
qui virtuti Tuæ coronam tandem imponet! Pergat Supremum
Numen deinde ulterioribus tuis abunde benedicere conamini-
bus! Fortunam ubique experiaris secundissimam, Tuisque di-
gnam meritis maximis! Millenas excipias gratias a tot ægris, qui
Tuam Tuæ solertiæ eruditionique debebunt recuperatam salu-
tem! prouti jam habes, & diu antea habuisti, qui Tuam salutarem
sunt experti opem. Hæc inter vero summopere Te rogatum
velim, nunquam ut fidelis Tui Schobingeri memoriam plané a-
nimò sinas elabi, amici qui nunquam non Te amabit, qui Tuam,
si audire contigerit, felicitatem suam putabit. O si quandoque
Tui Amoris, Tuæque felicitatis per litteras, queis gratius nihil
accidet, certior fieri possem! potero, spero manu fideque tua,
quam haud recusasti, idemque repetita nunc vice Te summopere
rogito. Sic Vale, Vir Clarissime, Amice Suavisime, omni-
genæ felicitatis ubique particeps, felix imprimis Medicus, & è
longinquò mihi favere pergas. Dabam St. Galli Helvet. die 4.
Aug St. N. 1749.